

re possit metiri, neque in æternum metietur. Taceo, mensurari idem esse, quod definitè cognosci, quanta res sit, quæ mensuratur, notante Pererio l. 12. c. 10. p. 665. Et sanè tantum abest, mensurabilitatem absolvere naturã durationis in genere, & Æternitati competere, ut ne durationis creatæ rationẽ formalem cõstituere possit, quia mensurabilitas est posterius quid duratione, & præsupponit in re jam tum durationem, sicuti mensurabile secundum perfectionem præsupponit habere perfectionem, secundum quam respondere debet ei, ad quod mensurari potest, mensurabile enim ut sic, involvit respectum ad aliud, per quem id, quod est mensurabile, comparatur cum alio secundum aliquod tertium, quod utrique commune est, E. comparatio sive respectus ille ab illo tertio differt utique, hoc enim sine eo esse potest, E. g. Petrus cum Johanne mensurari debet, secundum ætatem seu durationem, comparatio Petri cum Johanne in actu primo est mensurabilitas, ætas seu duratio est illud tertium Petri & Johannis commune, & ratio illa, & quasi fundamentum ob quod Petrus cum Johanne conferri potest, duratio autem seu ætas in utroque esse potest sine illa comparatione. Quod etiam agnoscit Joan. Paul. Nazarius in 1. part. Thom. quæst. 10. a. 1 p. 199. D. *nomen durationis, inquit, prima ac propria sua significatione non importat rationem mensuræ, sed rei mensurabilis rationem, cum prius esse Angeli habeat rationem durationis, quàm rationem mensuræ.* Multò minùs Duratio formaliter consistit in mensura activè accepta, nam tunc mensuraret aliquid, aut intra rem durantem, aut aliquid extra eam, non hoc, quia remoto & destructo omni extrinseco, nihilo tamen minus res adhuc durare diceretur; quod in solius DEI ab æterno ante mundi productionem citra alicujus extrinseci opem durantis exemplo tam manifestum est, quàm quod manifestissimum. Nec est, quod quis ad actum primum confugiat; nam licet concedamus Durationem DEI fuisse in potentia ad mensurandum aliquod extrinsecum; in eo tamen ratio formalis durationis DEI non constitit, neque jam consistit, si quid extrinsecum mensuraret, sed id solum ex accidenti ipsi competeret. Sic, ut ut motus seu duratio cœli secundum (communem sententiam) mundi sublunaris durationes metiatur, non tamen per hoc